Kreysel, g. S

Q. D. O. M. B. V.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

MORBO HVNGARICO
SIVE
FEBRE CASTRENSI

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO
GVILIELMO HENRICO
DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE ET WESTPHALIAE COMITE SAYNAE ET WITGENSTEINII RELIQVA

AVCTORITATE ET CONSENSV
GRATIOSISSIMAE FACVLTATIS MEDICAE
SVB PRAESIDIO
HERMANNI FRIDER. TEICHMEYERI
HEREDITARII IN CAMSDORF ET WENIGENIENA,
PHIL. ET MED. DOCT. ANATOMIAE, CHIRVRGIAE, ET BOTANICES P. P. O.
SERENISSIMORVM SAXONIAE DVCVM VINAR. ET ISENAC. CONSIL. AVLICI ARCHIATRI ET PHYSICI, ACADEM. NATVR. CVRIOS. IMPERIAL. ET REG. S. S. BORVSSICAE SODALIS,
PRAECEPTORIS PATRONI, ATQVE PROMOTORIS OMNI PIETATIS CVLTV PROSEQVENDI

PRO GRADV DOCTORIS
MORE MAIORVM LEGITIME OBTINENDO
PVBLICAE ERVDITORVM DISQVISITIONI PROPOSITA
AVCTORE
IOANNE SIGISMVNDO KREYSEL
BARTFENSI HVNGARO

AD D. XIX. IVNII ANNI MDCCXLI.
HORIS LOCOQVE CONSVETIS.

IENAE LITTERIS SCHILLIANIS.

I. N. I.

DISSERTATIO
DE
MORBO HVNGARICO,
SIVE
FEBRE CASTRENSI.

§. I.

Morbus Hungaricus, ſiue Febris Caſtrenſis, eſt Febris acuta maligna, a materia tenui, acri bilioſa excitata. Dicta haec in Definitione, Febris noſtrae differentiam ſpecificam, cum inter alias continuas acute malignas, vt catarrhales, petechiales, purpureas et peſtem ipſam, tum potiſſimum inter morbum itidem Hungaricum Tsömör, ſiſtunt. Differentiam hanc, mox vberius pertractabo.

§. II.

Febris noſtra dicitur morbus Hungaricus, non quidem eam ob rationem, quod incolis endemia eſſet: cum affirmare queam, haud ita frequenter febrem hanc in regione noſtra graſſari, vt vulgo apud exteros exiſtimatur, ſed quod primum, quemadmodum relationes et Hiſtoricae, et ipſorum veterum Medicorum teſtantur, ſui ortum expeditioni-

tionibus bellicis in Hungaria inſtitutis, debeat. Quid? quod et in Germania, aliisque Europae regnis morbus iſte, interdum vehementiam ſuam exerat. Immo annotarunt Medici noſtrates, magis familiarem febrem hanc peregrinis ad nos venientibus, quam incolis ipſis, et deteriorem illis prae his, eſſe. Recte vero febrem hanc, ſicut et omnes alias appellari morbum, quia in laeſione partium Maſſae Sanguineae conſiſtit, neque ſimpliciter ſalutarem conatum, vel etiam motum animae aduerſus cauſam morbi vnice directum? non eſt cur multum demonſtrem: omnibus enim, qui ſcholis vbi de ſtatu hominis praeternaturaliter obuenienti, agitur, i. e. Pathologicis interfuerunt, cognitum eſt. Caſtrenſis vel militaris audit, quia potiſſimum milites in caſtris degentes, ob peculiare vitae genus eadem adficiuntur, et per hos vt plurimum in alias regiones transplantatur. Probe itaque tenendum, me ſub vocibus, Febris caſtrenſis ſiue morbus Hungaricus, non intelligere morbos exercitibus ſolennes, v. g. Dyſenteriam, Diarrhoeam, Scorbutum, et ſimiles; ſed ſpeciatim Febrem hanc vehementer malignam.

§. III.

Hungarica gens peculiari nomine, Febrem hanc, lingua patria, HAGYMAZ exprimit: latet me vero eius denominationis origo; a ſymptomate enim quodam, quod febri huic proprium eſſet, quantum ſcio, deſumta non eſt; adeoque exiſtimo eam, quemadmodum plurimarum rerum denominationes arbitrariæ ſunt, arbitrio quoque plurimorum, a quibus primum ita appellata eſt, ſui originem

nem debere: sufficiat nobis, nosse, Hungaris voce HAGYMAZ Febrem castrensem venire. Inter Medicos quoque morbus noster non vnum idemque obtinet nomen; cuius rei ratio in symptomatibus praecipuis et vehementioribus, quibus stipatus est, haeret. Ita quibusdam dicitur ob enormen cardialgiam et aestum, causas cordis: aliis ob inflammationem colli et faucium subsequentem, Febris anginosa: aliis ob difficilem eius curationem, audit flagellum medicorum et Febris antimedica: caeteris ob potentem vim agendi, Febris venenata vocatur. Germani itidem in adpellatione Febris huius variant: quidam generatim illam nominant, **die Ungarische Kranckheit**; reliqui propter saeuitiam eius in milites, **die Feld- oder Soldaten-Kranckheit**; hi propter intolerabilem capitis dolorem et deliria, **die Haupt-Kranckheit**, item **Hirn-tobende-Kranckheit**; isti propter nigritiem faucium et tremorem cordis obseruatum, **die Hertz- und Mund-Bräune**; aliqui deinde propter exanthemata et inprimis petechias interdum hic adparentes, **das hitzige Fleck-Fieber**; et quod multos interimat, **das giftig-ansteckende Fieber**, nuncupare solent.

§. IV.

Asserui §. I. morbum Hungaricum esse Febrem; ad id affirmandum eo nixus sum fundamento, quod in morbo dicto omnia non modo essentialia, sed etiam accidentialia Febrium deprehendantur signa, in sequentibus pensitanda. Ex continuarum Febrium numero malignam hanc pronuncio ideo, quia insidiose Massam Sanguineam destruit, symptomatibus

tibus ſaepe apparentibus mitioribus; adeoque imitatur in actione ſua homines malitioſos, qui quidem intuitu boni obſeruantur, malitiam tamen ſimulant. Acutam vero commemoraui, cum vitae periculum inſeparabiliter coniunctum habeat; et quod terminum aliarum acutarum ſimpliciter talium ſeruet.

V.

Subiectum Febreos noſtrae principale, vt omnium febrium continuarum eſt ipſa Maſſa Sanguinea in qua et morbus, et partes morbum efficientes, ſiue materia (§. I.) reſidet: hac dein vitiata, effectus in reliquo corpore obſeruatur; qua ratione vtique recte â Medicis ſubiectum adaequatum, hic merito totum corpus conſtituitur. Eſſe vero Maſſam Sanguineam principale ſubiectum; confirmamur vt multa ſileam, calore ipſo, Febribus eſſentialiter inhaerente. Cum enim ex Phyſiologicis conſtet, nullum calorem in corpore humano exiſtere, niſi in et à Sanguine durante huius circulo: neceſſario ſubſumi debet, quia Febris noſtra calorem ferè intolerabilem tanquam ſui effectum ſocium habet; illius quoque ſedem principalem haerere vnice in Maſſa Sanguinea.

§. VI.

Immediata Febris caſtrenſis cauſa, eſt proportio Sanguineae Maſſae à partibus peregrinis eidem commixtis, corrupta; quae generatim intemperies, et ad diſtinctionem aliarum ob qualitatem ſuam, calida inter Medicos, qui indolem morborum accuratius perpendunt, pronunciatur.

§. VIII.

§. VII.

Mediatam proximiorem cauſſam morbi noſtri, conſtituit materia tenuis, acris biliofa, (§. I.) quae aliis ſub partium peregrinarum (§. VI.). Maſſae Sanguineae iunctarum, nomine venit. Quomodocunque vocetur, nil obſtat, dummodo in re conueniamus, et principium materiale tanquam cauſam vt aliarum febrium, ſic cumprimis praeſentis, ponamus. Non vero ego hic intelligo per materiam, particularum à particulis Maſſam Sanguineaem componentibus heterogenearum combinationem: neque enim hucdum quis ad amuſſim demonſtrauit, diuerſas planè in ſuo genere a partibus Maſſae Sanguineae eſſe partes Febrem noſtram cauſantes: ſed exiſtimo illas ipſas partes, quae corpori humano ſanitatem largiuntur, ſimul quoque eſſe, quae producunt morbum Hungaricum, ſub aliis tamen circumſtantiis, et ſpecialiſſimè ob maiorem copiam vnius generis particularum, prae alterius. Cum igitur in Maſſa Sanguinea reſideat cauſa, (§. V.) neceſſarium erit, aliquas partes Maſſae Sanguineae tanquam fluidi heterogenei, vitioſam habere debere proportionem. Iam videndum quaenam particulae in corpore praeſentes materiam noſtram efficiant; et quomodo morbus hic exinde oriatur.

§. VIII.

Tenuem acrem bilioſam materiam, (§. I.) et §. VII.) requiri, pronunciabam, propterea, quod vehementiam Febris huius, vix alias rectè explicari poſſe, putem; niſi haec adſumatur. Vt autem pateat cuilibet, quid per terminum tenuis, quo vſus ſum compendii cauſa, ad exprimendam materiam

ſub-

ſubintelligam? tenendum erit, me particulas ipſa Maſſa Sanguinea ſpecifice leuiores ſubintelligere. Cum enim effectus materiae noſtrae proximus, vi experientiae in reſolutione Maſſae Sanguineae conſiſtat; reſolutio vti ex principiis Phyſicis Illuſtris HAMBERGERI notum eſt, praeſupponat adhaeſionem; adhaeſio vero requirat grauitatem ſpecificam leuiorem; in propatulo erit, materiam noſtram febrilem, continere debere particulas tales ſpecifice leuiores, i. e. ſumme actiuas. Huius indolis particulas iudico eſſe ſalinas alcalicas volatiles, quas acres appellavi. Probe quidem ſcio acrimoniam in Chymia duplicis generis Salibus communem eſſe acidis nempe et alcalicis: nihilominus tamen, ſi horum Salium vnum pro altero ſubſtituere velimus, diuerſiſſimus ſane obſeruabitur effectus. Acida quippe humores noſtros coagulant, augendo grauitatem particularum a ſero ſolutarum; vnione verò cum Salibus alcalicis Maſſae Sanguineae reſolutionem et fuſionem impediunt, E. et eius fluxilitatem maiorem. Alcalica verò maximè contrarium effectum illis edunt: cum iam in Febre noſtra Hungarica effectus Salium alcalicorum, vti infra videbimus, praeſto ſint; et ab effectu ad cauſam ſemper valeat concluſio; neceſſarium erit dicere, Salia alcalica materiam in praeſenti morbo ceu cauſam mediatam proximiorem dare, et haec eſſe ſpecificè leuiora ipſa Maſſa Sanguinea. Terreas partes, quod concernit; hae hic nullam merentur conſiderationem: docet enim nos experientia, iis copioſe in corpore praeſentibus, aliarum actiuiorum partium impediri actionem: Atqui in febre caſtrenſi ſummè actiuae

par-

partes vim ſuam exerunt: breui namquè tempore integra deſtruitur Maſſa Sanguinea E. neque temperantur per ▽eas partes; E. harum adeſt defectus; E. neque in morbo Hungarico, pro cauſa poſſunt agnoſci. Sulphureae partes Maſſae Sanguineae itidem ſibi relictae, mala morbo noſtro familiaria producere nequeunt. Nam cum ex 🜍eis partibus igneae non per ſe liberentur; ſed, quemadmodum praecepta Phyſiologica tradunt, liberans, quae ⊖ia ſunt alcalica, requirant, et tum demum igneae liberatae partes aptae ſunt ad reſoluendam Maſſam Sanguineam; elucet hinc requiri prius vt adſint particulae ⊖inae alcalicae, ſi 🜍eae partes aptae euadere debeant ad agendum. Aquea verò pars Maſſae Sanguineae non ſpectanda eſt, ceu materia apta ad producendam cauſam proximiorem noſtrae febris: ſed haec ſolum concurrit, vt eo promtius dicta febris eueniat, ſi nempe notabiliter deficiat. Ex prolatis, quantum propoſiti ratio permiſit, iam ſufficienter colligi poteſt; inter omnes partes Maſſam Sanguineam conſtituentes, vnicae Salia alcalica eſſe idonea ad dandam Febris Hungariace cauſam mediatam (§. VII.) proximiorem. Bilioſam porro dixi materiam; quod partim ideo factum eſt, vt illico ex definitione (§. I.) pateſcat, quomodo vocem, acris, intellectam velim, bilis enim ex omnibus fluidis noſtri corporis refertiſſimum eſt fluidum ⊖ibus alcalicis; partim vt cognitum ſit, accumulatis in corpore partibus alcaliicis, bilem fieri acriorem, hinc adhuc magis eam humoribus labem inferre, acres partes copioſius liberas reddendo.

§. IX.

Partibus itaque alcalicis volatilibus maiori quantitate exſuperantibus, (§. VIII.) ſiue materia tenui acri biliosa in Maſſa Sanguinea praeſente; Febris noſtra Hungarica, dum nempe partes dictae in Sanguinis Maſſam agunt, hanc vltra modum reſoluunt, partium acriorum quantitatem iſtas liberando augent, et hinc motum cum progreſſiuum, tum inteſtinum vehementiorem excitant, excitatum promouent et conſeruant, oritur. Iſte motus auctus Maſſae Sanguineae auctior fit ob fibrarum corporis noſtri ſtricturam coniunctam; ipſe enim partes motum hunc efficientes, quatenus acres ſunt, i. e. quatenus maiori quantitate adſunt, irritationem et hanc ſubſequentem ſtricturam praeſtant, et hinc Sanguis ob impeditum introitum in vaſa anguſta, accumulatur in maioribus. Ab hoc motu aucto, omnia in morbo noſtro occurrentia ſymptomata deriuanda erunt, et is eorum in ſe continebit rationem. Pathologica principia nos docent, ſalia in corpore noſtro duplici tantum modo acriora fieri; vel ob defectum diluentis, vel ob auctam eorum quantitatem, et vtrumque per cauſas mediatas remotiores varie modificari; E. duplici etiam tantum modo partes materiam noſtram conſtituentes, et Febrem excitantes acrimoniam contrahunt. In quantum iam quodlibet horum ſymbolum ſuum conferat? ſigillatim mox pertractabo.

§. X.

Liceat mihi priusquam rerum naturalium, non naturalium, et praeternaturalium conſiderationem, quatenus concurrunt ad productionem

mate-

materiae noſtrae, exordiar; circa finem §. I. reſidua, et aliquibus forte obſcura, pauliſper examinare, quo demum vnice ſpecialioribus morbi noſtri perpendendis inhaerere queam. Mirum videbitur quibusdam me affirmaſſe, cauſam mediatam proximiorem in definitione noſtra dare differentiam ſpecificam aliarum febrium continuarum, et acute malignarum, i. e. talium, quae vnum incrementum, vnum ſtatum, et vnam declinationem habent, et 14. l. 20. die vi experientiae finem capiunt, cum tamen dici deberet, quia febris noſtra, eundem cum aliis malignis ſeruat terminum, quoad cauſam non eſſe diuerſam. Aſt notandum erit, primo, me febrem hanc non tanquam peculiare genus febrium malignarum conſiderare; ſed vtique caeteris ſubſcribere, quod haec ſolummodo tanquam ſpecies febrium malignarum generi ſummo adnumerari debeat; et a me quoque vt ſpecies hic pertractatur. Nam quia maligna eſt, debebit cauſam malignis communem ſimul agnoſcere, i. e. talem, quae inſidioſe agit. Quum vero intercedit quaedam differentia inter has; debebit aliquid eſſe, cur haec ſit: Atqui partes corporis noſtri efficiunt vti alias febres, ita et noſtram, et peregrinae non adſunt, (§. VII.) neceſſario, cum differt, differentia in gradu maiori debet conſiſtere. Secundo, ego cauſam Febris noſtrae, quatenus maligna eſt, non aliam pono, quam quae febribus malignis ſolennis eſt. Haec ergo tantum eſt diſtinctio: in noſtra Febre vim cauſae inſigniter potentiorem et actiuiorem eſſe, quam in illis. Quod autem aliae febres malignae prae noſtra, in genus humanum frequen-

 tius

ius saeuiant? rationem in eo querendam puto, quod mitior gradus causae requiratur ad easdem producendas, et quod raro eum consequuntur, vt Febris nostrae fabulam ludere queant; non enim semper tales committuntur errores diaetae, qui Febri nostrae fauent; neque subiecta huic idonea illis frequenter occupantur, et illorum actioni in principio statim resistitur. Esse actu febrim nostram malignam: signa malignis febribus propria hoc patefaciunt. Consistunt haec in symptomatum inaequalitatē a causa ipsa Massam Sanguineam destruente prouenientium. Inter haec maxime consideratur: pulsus bonus, vrina bona. Inaequalitatem hanc mihi ita concipio: materia nostra cum vehementer agilis et subtilis sit, (§. VIII.) resoluet mirum in modum Massam Sanguineam, i. e. destruet. Spiritus primum copiose secernentur; postea vero materia spiritus continente destructa, horum minor quantitas aderit: secreti enim semel, per alias se- et excretiones euacuantur et dissipantur: E. sequetur actionum vitalium debilior perceptio. Inter has pertinet pulsus; si iam partes acres hic praesentes circa neruos substiterint, vel etiam ob sui subtilitatem plane in cauum fibrae nerueae intrauerint, et sic irritationem effecerint, deficientibus spiritibus horum minor motus in partes corporis et arterias fiet, ipsaeque conuulsiones irritationem neruorum alias facile subsequentes in praesens non euenient; E. non poterit insignis pulsus mutatio obseruari; E. sentitur naturali similis. Vrina non mutata apparet, quia salia copiose in corpore febre castrensi detento eminentes, in renes cum circulo

san-

ſanguinis delata, hic ſecernuntur, irritationem et conſtrictionem praeſtant, vnde nil, niſi quod ſubtiliſſimum eſt, ex tubulis vrinariis prodibit.

§. XI.

Ex dictis §. X. colligi iam poſſet in quantum Febris noſtra ab aliis malignis in genere differat, hinc ego vlteriorem harum enucleationem ſuperſedere valerem; verum vt ſpecialiſſime pateſcat, a quibus ſeſe potiſſimum diſtinguat, dum non exiguus numerus medicorum febrem Hungaricam cum variis morbis confundere ſoleat, quaedam adnectam. Petechialis et Purpurea febris non ſolum non illud proprium habent, quod cutim efflorescentiis conſpurcent, ſed et ſymptomata ſibi ſocia mitiora edant. In febre noſtra exanthemata haec ordinarie abſunt, interdum vero apparent, ſi rigiditas cutis partim ob ſpaſmum, partim ob naturalem conſtitutionem non adſit: ſymptomata vero atrociora videntur. Febris catarrhalis maligna differt a morbo Hungarico, et in cauſa et in gradu: in illa enim ſerum acre adeſt; in hoc partes bilioſo-alcalicae; gradus vero motuum febrilium ibidem etiam eſt mitior; quo accedit, quod febres catarrhales vt plurimum anni temporibus frigidioribus et humidioribus graſſentur, febris autem noſtra non ita certo cuidam tempori eſt adligata. Dubitaret vero quis, num ex tali ſero ſpiſſo febris tam maligna oriri poſſet, adeoque ſubiret has cogitationes, tales debere eſſe particulas agentes, quales ſunt in febre noſtra? Verum enim vero facile id concipi poteſt; cum enim S. in febre catarrhali non diluitur, globuli Maſſae Sanguinae deſtituti ſuo

ſoluente praecipitantur, et ſic ſalium in ſe inuicem actio non impeditur. Peſtis ipſa febrem caſtrenſem ſuperat non ſolum malignitate, quam poſſidet ſummam, pauciſſimi enim euadunt, eadem detenti, quod quidem Peſtis ipſa vt ita dicam eſſentialiter ſibi vindicat; ſed et duratione, hinc non immerito acutiſſimorum morborum cenſum ſubit. Vid. Diſſert. ſub praeſid. illuſtris HILSCHERI de Peſte habita. Febris dyſenterica ſeu dyſenteria ipſa ſeſe a noſtro diſtinguit, cum et alui fluxum cruentum et terminoſum illico ab initio comitem habeat, et interdum febris mitior apparet. Legi meretur Diſſertatio ſub praeſidio illuſtris I. A. WEDELII de Dyſenteria ventilata. Differentia quoque maxima intercedit febri huic inter morbum Hungaris endemium Tsömör κατ᾽ ἐξοχὴν ita dictum, etſi non parua Medicorum cohors hunc cum Febre caſtrenſi pro vno eodemque venditet, revera tamen ob id ipſum confundunt inuicem diſtinguenda, neque errauerim ſi dixero, toto genere morbum Tsömör a morbo caſtrenſi differre. Morbus etenim Tsömör interdum ſimplex eſt nauſea, interdum vero eſt febris ſtomachica: ortum trahit et nauſea haec, et febris ex cruditate et repletione ventriculi a cibis nimia. Nauſeam vero ſimplicem eſſe eo confirmamur, quo videmus vomitu ſubſequente, omnia morbo Tsömör propria phaenomena minime apparere, vt ſenſus ventriculi tenſiuus et grauatiuus, anxietas praecordiorum, inflatio abdominis torminoſa, torpor ſenſuum, diſplicentia ſui, tubercula dura in ſpina dorſi, collo, nucha, circa tempora imprimis circa carpos manuum palpabilia. Vomitus ſi non ſucce-

ſuccedat, ſed crudae partes Maſſae Sanguineae commiſceantur, orietur febris, et mala recenſita ſubſequentur, quae inde ſtomachica ephemerae inſtar, quia vno die, ad ſummum ſecundo vel tertio terminatur, ſiue febricula digeſtionis appellatur. Conf. illuſtris FRIDER. HOFFMAN. Med. Rat. Syſtem. Tomi II. p. m. 363. ſcripſit peculiarem Diſſert. D. D. MILLETER, de morbo Tsömör Hungaris endemio, in qua ſolide morbi huius naturam expoſuit. Febris caſtrenſis non talem gerit morem, ſed aliam prorſus ſui faciem exhibet, aegrum et magis torquet, et opem Medici reſpuit. Accedit quod febris militaris ſemper ſit contagioſa, morbus vero Tsömör nunquam. Hoc tamen circa morbum Tsömör tenendum, ſi initium mali in eodem negligatur, neque vel medela cito adferatur, vel excretio quaedam ſpontanea ſequatur: illum viam parare febri noſtrae malignae et aliis continuis, aut pro varietate circumſtantiarum intermittentibus, adeoque non raro praecedere ſolet ſtricte ſic dictam Febrem Hungaricam. A ſudore Anglico, qui febris perquam maligna eſt denique diſtinguenda erit; differt enim ab hoc non modo non typo ſiue decurſu, ſed et in ſymptomatibus. Sudor eſſentialis eſt ibidem a principio ad finem vsque durans, in febre noſtra eſt accidentalis; terminus illius nunquam vltra vnum vel alterum diem extendebatur, intra ſpatium viginti quatuor horarum hominibus eodem detentis mors imminebat, noſtra vero febris ad 4. 7. 11. vel 14. diem patitur ſui prolongationem. Vid. Illuſtr. et Magnif. D. D. PRAESIDIS Inſtit. Medic. Legal. p. m. 145. num. 5.

§. XII.

§. XII.

Cum materia febrem noſtram efficiens, ſit acris ⊖ina alcalica; (§. VIII.) valebit quoque de hac ſpecie ⊖ium id, quod §. IX. de ⊖ibus in genere dixi. Oritur itaque haec materia et acrimoniam concipit, vel in ipſo corpore; vel in hoc ab extra deriuatur, vnde Maſſae Sanguineae conciliat motum fermentatiuum, et partes ſibi homogeneas magis liberas reddit. Si in corpore generetur; id fiet vel ob defectum partium has temperantium et diluentium, vt 🜍earum, acidarum, 🜄earum et ſeroſarum: vel ob auctam quantitatem naturaliter praeſentium per talia vſitata, quae partibus eiusmodi acribus alcalicis gaudent. Si ab extra ſe inſinuet? tum id fit vnice per contagium, quando per alia corpora aegrota, in quibus iam virulentiam exerit propagetur. Defectus partium blandiorum et inprimis ſeri oritur, ſi vel partes excernendae non excernantur, vnde fluidum reſiduum non ſufficit diluitioni; vel vltra neceſſitatem couſumatur; vel naturaliter etiam ſit in ſubdominio. Haec prolata, quum vberiorem ſui expoſcant explanationem, et fundata ſint in cauſis mediatis remotioribus; hae vero iuxta omnium Pathologorum ſententiam triplices ſtatuantur, naturales, nonnaturales, et praeter naturales: ordine dicto eas iam proſequar.

§. XIII.

Numeratur inter cauſas naturales temperamentum; in quo ſane et praeſentis ſanitatis, et futuri alicuius morbi, maximum ſemper reſidet momentum: et verisſimum eſt ipſas conſtitutiones naturales variorum morborum initiis commodiſſimam parare

rare viam. Etenim in quovis temperamento, illud, quod naturaliter prae altero eminet, facilius producendo morbo eſt idoneum, et ad augmentum p. nle diſponit. Morbo igitur noſtro licet promiſcue quaelibet adficiantur temperamenta: attamen minus prae caeteris reſiſtit illius productioni, temperamentum bilioſum ſiue cholericum, cum in hoc ſecundum naturam, et bilioſae ſiue alcalicae partes actiuae iam ſunt, et acrimonia breui accedente quadam cauſa occaſionali, perquam pernicioſa ſumit incrementa. Sanguineum ſiue calidum et humidum, non quidem per ſe et qua tale fauet Febri noſtrae; ſed quod facile ab exiguis quibusdam erroribus varias patitur mutationes; qui, ſi ita ſint comparati, vt inſigniter illius proportionem mutent, oriri vtique Febris caſtrenſis poteſt, et certiſſime id eueniet, vbi indiuiduum fuerit Plethoricum. Reliqua temperamenta, quia cauſae morbi Hungarici contrariam habent proportionem; difficulter eodem corripiuntur, et vt plurimum per contagium; ſique corripiantur, longior mora requiritur, donec talis fermentatio eueniat, vt partes cauſae noſtrae grauitate ſpecifica conformes, in actiuitatem perducantur, immo vis morbi ipſius multo benignior in his obſeruatur. Inde apparet, cur Febris noſtra familiarior ſit illis, qui temperamento vel cholerico, vel Sanguineo donati ſunt; et cur tam velociter potenterque adgrediatur homines. Aetas equidem nulla ab hoc malo libera eſt; interim minus quaedam aliis obnoxiae ſunt. Nam cum ratione aetatum ipſa differant temperamenta; haec vero per dicta non promiſcue ad recipiendum

et

et producendum morbum noſtrum apta deprehendantur: ſequi debet, eas etiam potiſſimum aetates, quas occupant temperamenta morbo noſtro non contraria, corripi: Atqui aetas iuuenilis accedit quoad temperamentum, ad temperamentum cholericum etſi adhuc aliquantum ſanguineum poſſideat; virilis actu gaudeat cholerico: E. etiam hae duae aetates, et facilius et vehementius febre noſtra adficientur. Sexus diſtinctionem febris caſtrenſis epidemice graſſans facere non ſolet: ſporadice vero ſe gerens ſexui virili magis inſultat. Habitus corporis gracilis, quum naturaliter poſſideat humores acres, opportunior prae obeoſo febri Hungaricae eſt. Vitae genus, vt omnium morborum vim augere, et infringere valet; idem et hic efficit. Producit enim et auget morbum noſtrum vitae genus quod cum motu vehementiori coniunctum eſt; quatenus enim ſpiritus diſſipantur, partes verò blandae euacuantur; ſubſequuntur ſtaſes, ſalia extricantur, et ita acriora euadunt. Deterius habent illi, quibus intereſt labores circa loca putridis exhalationibus repleta inſtituere, et qui corpora putridum foetorem ſpirantia ſaepe manibus ſuis voluunt: hac enim ratione non ſolum per poros cutis, ſed et per inſpirationem, et deglutitionem ſaliuae, actu materiam pro excitanda febre noſtra idoneam ſuſcipiunt.

§. XIV.

Cauſſas non naturales conſtitutionem partium corporis noſtri naturalem mutare poſſe: confirmat experientia quotidiana. Si itaque hae naturalem ſtatum in producendis reliquis morbis mutare valent? non abſonum erit adſtruere, has et in noſtro caſu

ſtatum

ſtatum naturalem mutare, et febrem Hungaricam producere poſſe. Ex his in cenſum venit 🜁, qui propter inconſtantiam ſuam nobis hic accuſandus eſt. Calidus ſanguinem rarefacit; ſanguinis rarefactio poſt ſe trahit vaſorum extenſionem; extenſio vaſorum reciprocam requirit contractionem; inde ſequetur motus Maſſae Sanguineae citatior; E. ſeri et ſpirituum euacuatio; E. et acrimoniae auctio. Dum ſubitaneum calorem 🜁is, frigidior exceperit, quale quid in Hungaria contingit, vbi aeſtate per diurnum tempus, ſolis aeſtu mirum in modum vrente frigidior nox ſuperuenit; et ſimul ſit nebuloſus vel humidus: calorem corporis minuit, imprimis corpore non ſatis veſtibus munito; reſolutionem partium Maſſae Sanguineae et hinc ſubſecuturam eliminationem impedit; E. ſequetur detentio partium 🜔inarum et 🜍earum; E. puartium inutilium accumulatio. Ventoſus ſi adhaec ſit? recenſita omnia maiori fient et celeritate et gradu. Contenta 🜁, quorum iam aliquantum §. XIII. circ. fin. memini; prout qualitate quadam gaudent, et magis vel minus copioſe in 🜁 haerent, cum ex effectu optime diiudicari queant, mihi vero prolixuum foret, eadem hic perluſtrare, illa mitto. Cum per alimenta debita quantitate, qualitate et ordine vſurpata, vita conſeruari debeat; per ſe liquet, modo in recenſitis non obſeruato, ſanitatem per eadem labe factari, morbis ſuſcitandis materiam ſuppeditari, et ſuſcitatos conſeruari. Non vero omnibus morbis procreandis omnia aequaliter ſeruiunt alimenta, requirunt enim ii aliquam horum limitationem. Morbo noſtro non aeque famulantur cibi viſcidi, itemque craſſi; vtrumque genus eſt concoctu difficile: viſcidi obtundendo 🜔ia, horum actionem impediunt, craſſi gaudent non exigua copia particularum 🜄earum et ♀earum; E. non poſſunt reſolui, ſed ſubſiſtunt in primis viis, donec ſucceſſiue puartes quaedam

ſeparentur, et in Maſſam Sanguineam deferantur; cumque necdum ita ſint praeparati, vt 🜔ia in iis contenta libere agere queant, in vaſis minimis ſubſiſtent, et febribus intermittentibus anſam ſuppeditabunt. Neque acidos ferre poteſt, quatenus hi cauſae ſuae contrarii exiſtunt. Si vero commemorati cibi, craſſi et viſcidi, non tam 🜃eis copioſis, quam 🜔ibus alcalicis vel alcalinis ſcateant, quale quid in omnibus partibus animalium et potiſſimum fumo induratis deprehenditur; generationi morbi caſtrenſis conducent. Cum enim per talium vſum copioſiorem, et ipſum menſtruum tale euadat: ineptum id erit ad reſolutionem amplius paullo duriorum ciborum; E. hi in ventriculo diutius commorabuntur, et preſſionem pondere ſuo, hinc dolorem tenſiuum efficient. Hi diu ventriculum obſidentes, fermentatiuum conſequuntur motum; 🜔ia in interioribus ſuis partibus haerentia, prodeunt; cum liquore gaſtrico deferuntur in inteſtina, in his a vaſis lacteis abſorbentur, et Maſſam Sanguineam vltro inficiunt. Amat itaque hic cibos non tantum naturaliter 🜔 alcalicum manifeſto poſſidentes, vt aromata omnia in exceſſu vſitata, item haerbas quasdam; ſed et ex mora diuturniori tale quid nactos. Huc pertinet panis varie corruptus, vt mucidus, hic iam odorem peregrinum prae ſe fert; denotat praeſentiam partium acrium: atque ex farina vetuſta piſtus. Non excluduntur quoque alia putredini actu obnoxia, et fermentationem cito ſubeuntia, qualia ſunt omnia dulcia; per quam 🜔ia acriora liberantur, et ſui iuris redduntur. Vtique etiam 🜍ei cibi hic non eximendi ſunt; illi quidem per ſe et ſibi relicti non ſuppeditant materiam pro morbo noſtro, ſed quando reſoluuntur per 🜔ia alcalica iam dum in Maſſa Sanguinea praeſentia, bilis et hinc ipſa acrimonia Sanguinis augetur. Fructus horaei cum immaturi, tum maturationem iam conſecuti, aut ſemi-

nio

nio verminoſo repleti et circumdati, ſebrem Hungaricam non ſolum excitandi, ſed et ad apicem perducendi potentia gaudent. Immaturi hoc eo celerius perficient, quo maior aliorum ciborum deprehenditur defectus. Etſi enim hi ſaporem auſterum acidum exhibeant: non tamen propterea principium alcalicum iis denegari poteſt, cum ſint ex regno vegetabili, huius vero ſit proprium, quamquam tunc ſit in ſubdominio. In Hungaria cumprimis eſus peponum et melonum maxime hic accuſandus eſt: vuae quoque hic non eximuntur, ſi vltra modum edantur. Potus morbo noſtro ſternit viam, et quantitate et qualitate peccans; qualitate, ſi non temperatus et diluendis ⊖ibus aptus ſit, maiorem noxam inferret ſi copioſe ingurgitetur; quantitate, ſi potus temperati portio minor adſumatur, quatenus hoc modo humidum per vias excretorias euacuatum non reſtituitur, et ⊖ia augmentantur. Vini immoderate hauſtus, in principio chylum et M. S. coagulat; E. impedit tranſitum eius per vaſa minima; E. ſecretiones et ſeri et ſalium; E. in maioribus vaſis accumulatur, haec extendit, et maiorem M. S. conciliat motum: per hunc fortiorem et frequentiorem circulum ſanguis iterum reſoluitur, ſecretiones fiunt copioſores; E. euacuatio ſeri, et ſi non iuſta proportione ſalia ſimul euacuentur horum exceſſus et abundantia. Vinum generoſum ordinarie potum, ſeri cohaeſionem imminuendo, eius excretionem promouet, et ſalium actiuiorum accumulationem efficit. Aqua impura, limoſa, et ex ſtagnis pota, quia ob deficientem adfluxum purioris aquae, illa ex ſubſiſtentia peſſimam qualitatem adipiſcitur, et habitaculum inſectorum tali ratione optimum praebet; incremento morbi noſtri conducit. Frigidus potus praeſtat, imprimis vbi corpus calefactum fuerit, conſtrictionem fibrarum; E. euacuationes impedit; ſtaſin ſanguinis inducit; ex ſtaſi hac ſanguinis, iſte putreſcit,

 per

per venas abſorptus, totam M. S. ad talem ſtatum diſponere poteſt. Quo magis et quantitate, et in ordine decenti, i. e. tempore conſueto, circa receníitorum vſum peccabitur, et ſubitanea contingat mutatio, quoad victum plenum in tenuiorem: eo velocius et certius erit pertimeſcendus inſultus febris noſtrae. Quoniam motus vehementior et diu continuatus, cum exagitatione M. S. eſt coniunctus, quod ventriculo ieiuno promtius euenit; per hunc vero et vires diſſipando, debilitantur; et per pororum maiorem apertionem ſudor, copioſius erumpit: ſequetur ex priori cauſa ſanguinis circulatio tardior, in anguſtioribus vaſis plane ſtaſis; E. iterum huius deſtructio; ex altera, ⊖ium liberior actio.

§. XV.

Quia per quietem omnes euacuationes imminuuntur, hinc et ſeparatio partium grauiorum, vt ♀earum: febri Hungaricae via mediante hac ſterni nequit. Per vigilias vero, dum mediantibus his ſerum blandum imminuitur, ſpiritus quantitate decreſcunt, ſiccitas inducitur; ⊖ibus acrimonia non ſolum conciliatur, ſed et promouetur. Excreta atque retenta legitimo modo non conſtituta, cuiuscunque demum haec ſint generis, vitioſam Maſſae Sanguinaeae et adaequate toti corpori induunt proportionem. Imprimis hic perpendenda tranſpiratio inſenſibilis cohibita et impedita. Per hanc ſubtiliſſimae noſtri Sanguinis particulae ad corruptionem admodum pronae euacuantur, eademque tanquam principali omnium actionum naturalium bene ſe habente, diutiſſima ſanitatis noſtrae conſeruatio dependet. Ipſa experientia quotidie ob oculos verſante docemur, perſiſtentibus in cute ſordibus excrementitiis, et cum tempore corrumpentibus grauiſſimarum febrium et aliorum pernicialium morborum opportunam ſuppeditari cauſam; tale quid ſi eueniat in temperamento calido et ſicco, (§. XIII.) naſce-

nafcetur febris noftra Hungarica. Animi pathemata quantam corpori mutationem conciliare, motum Sanguinis varie modificare valeant; nemini, qui proprii corporis exiftit obferuator, occultum haeret. Circa morbum noftrum accufari meretur, ira, terror, timor, triftitia, ob quamcunque caufam, et ipfa imaginatio; atque agunt euoluendo partim partes acriores refoluendo Sanguinem, vt ira; partim humorum circulum tardiorem et debiliorem reddendo, ftafin et fubfequam corruptionem inducendo, vt timor et triftitia; partim vero fpiritus ad alium motum determinando, vnde actionibus naturalibus peragendis inepti euadunt, id quod terror et imaginatio efficit.

§. XVI.

Praeter naturales caufae, fub quibus intellectas volo, cacochymiam biliofam, febres varias continuas, et fpecialiffime contagium; hic quoque fui expofcunt reflexionem. Cacochymia biliofa vtique valet ob eminentiam partium talium, quales in febre noftra exfuperant, prouocare hanc idque futurum eft promtius, quo faepius homines erroribus diaeteticis, (§. XIV. XV.) indulgent. Ipfa recipiendae malignitati ab extra communicatae, cacochymias reliquas antecellit; cumque ipfa cacochymia biliofa aliarum etiam febrium continuarum velut caufa p. n. aeftimatur; illico perfpici poterit, febres continuas fiue fit fynochus putrida, fiue caufus, non inftituta pro modulo earum felecta et accomodata curatione, febre vero noftra epidemice graffante, contagium huius tanquam caufam morbi noftri recipere, et vim fuam ita potentem reddere poffe, vt ipfa febris Hungarica fe fiftat. Contagium quod concernit? hoc fibi relictum M. S. in tantum alterare poteft, in quantum vix ac ne vix quidem aliud quid. Requirit vero hoc aptitudinem corporis ad fui receptionem, neque prius id accufandum eft, quam fuerit in corpus

dela-

delatum, et praeſentiae ſuaeque actiuitatis teſtes praebuerit. Cauſa itaque contraria ſecundum conſtitutionem naturalem praeſente, (§. XIII.) iners, minimum non tanto gradu redditur efficax contagium; et in hoc mihi videtur ratio haerere; cur multi, qui aegrorum rebus proſpiciunt, non cogantur morbi noſtri experiri anomalias. Sufficiat interim hic noſſe, pollere potentia contagium corpora ſanorum inficiendi, et, ſi hominum copia ingens ſit, qui febre noſtra detinentur, illud tanquam principalem cauſam eſſe reſpiciendum. Abſit vero a me vt ego contagium a ſtellis, et inde ſubſequente vniuerſali, 🜁 corruptione deriuem, cum illae talem nexum cum 🜃 noſtra non habeant, vt ab iis neceſſario ſanitas et morbus dependeat. Neque etiam experientiae reſpondet vniuerſalis corruptio 🜁is; ſi enim is totus quantus corruptus eſſet, neſcio cur non omnes in loco aliquo vbi talis haeret 🜁 adficerentur, cum ab omnibus per reſpirationem in corpus inſeratur; et cur neque ii, qui requiſita ad morbum noſtrum poſſident, ſimilemque 🜁em inſpirant, dummodo conſortium infectorum fugiant, febrem caſtrenſem experiantur? Hoc verum eſt, 🜁em etiam corrumpi per tantas tantorum aegrotantium exhalationes, ſed tamen is per accedentem alium aërem remouetur, et ſic purior euadit. Si vero prior ſubſiſtat per aliquod tempus, neque purificetur, labem corpori vtique inferret: num autem talis ſit, antequam morbus noſter epidemice initium capiat? dubito. Ego per contagium intelligo particulas ipſas admodum agiles atque ſubtiles, (§. VIII. IX.) quomodocunque demum ex corpore infirmo prodeuntes, et corpori ſano communicatas; in quod delatae, cum quoad grauitatem ſpecificam ipſius M. S. valde differant, ab eadem non cito mutari et reliquis partibus aſſimilari poſſunt; E. in hanc agunt, et deſtructionem inferunt. Duplicis indolis contagium eſſe: in Patho-

logi-

logicis docetur; vel enim eſt ſubtile alcalicum volatile, vel acido-acre et viſcidum ſimul; vnum l. alterum horum ſemper in morbis contagioſis praeſto eſt. Illius generis deprehenditur in morbis breuibus, nempe febribus acutis; huius in morbis chronicis: Atqui febris noſtra eſt ex numero morborum breuium ſiue febrium acutarum, (§.X.) E. contagium a febre noſtra dependens, et in aliis corporibus ſimilem ſtatum producens, indolis ſubtilis alcalicae volatilis, non vero acido-acris et viſcidae, eſſe debet. Vtriusque indolis contagium tamen, hoc habet commune, quod potenter agat, et non facile ſui deſtructionem ſiue alterationem admittat; E. hoc quoque de contagio febris noſtrae praedicari poteſt; E. etiam patet, quare febris Hungarica in patria noſtra ſi graſſatur, vt plurimum epidemice id contingat. Huius igitur rei cauſa, non immerito febribus peſtilentialibus adnumerabitur. Partium harum contagium efficientium vis per frigus mirum in modum infringitur; calor vero vi experientiae, cum hic putredini inducendae aptior prae priori deprehendatur, inſigniter fauet, E. △ conſtitutio calidior (§. XIV.) actioni contagii optime conducit. Non vero vnus idemque modus eſt, quo mediante particulae conſtituentes contagium ſe interioribus corporis noſtri partibus inſinuant: prout enim variè cum hominibus tum ſanis, tum aegrotis nobis conceditur facultas conuerſandi; ita etiam varie pernicioſiſſimum febris noſtrae contagium penetrare corpus noſtrum poteſt. Mox enim per apprehenſa veſtimenta et ſimilia; mox per aegrorum immediatum contactum; mox per ſeſſum in ſella ab aegro prius occupata; frequentiſſime ſuſcipitur per △ aegrum circumdantis inſpirationem et deglutitionem: in his vero omnibus generaliſſimus modus ſcilicet adhaeſio excludi nequit; nam ſiue proximae ſint tales particulae corpori noſtro, ſiue etiam actu inferantur; tamen

non exerent actionem, nisi cum partibus Massam Sanguineam constituentibus nanciscantur contactum; ergo adhaesionem; et hae partes licet sint mole minimae, corpus in grauissimas commotiones coniicere possunt. Existentiam contagii negant equidem nonnulli: contrariatur autem sententiae huic et experientia et ratio, neque in praesens quaestionem hanc dirimendam vltro in me suscipiam.

§. XVII.

Huc vsque tradidi ea, quae ortum febris nostrae adtinent: iam sequuntur consideranda, quae praesentiam ipsius in hoc vel illo corpore demonstrant. Diagnosis igitur haec est: Initium febris castrensis facit horripilatio siue lenis rigor, quouis diei tempore. qui ab irritatione fibrarum neruearum, et hanc subsequente constrictione reliquarum, (§. IX.) dependet; E. reprimitur sanguis a partibus exterioribus versus interiores; vasa maiora ab eodem magis et cor frequentius replentur, tenduntur; E. spiritus maiori copia quam alias fiebat, in eas partes influunt; E. nituntur ad contractionem; E. propellitur sanguis et celerius et fortius; hinc tam per hunc motum, quam etiam ob iam praesentem causam morbificam, (§. VIII.) partes M. S. rubicundae vltra modum resoluentur, hae resolutae, vti in statu naturali, cum hac ratione igneae liberantur, et in hoc casu dabunt calorem; E. excipit frigus antea sentitum, calor, qui, cum vehemens sit, efficit, vt neque spasmum illum in fibrillis durantem adhuc, amplius sentiant. Cum igitur spasmus hic vltro duret; coaceruatio sanguinis in vasis permanebit; Sanguis in vasa et haec in eum agent; E. circulus auctus perseuerabit; E. et caloris augmentatio; E. calor excedens, et exaestuans. Iste motus sanguinis auctus, cum ab arteriis velocius se contrahentibus dependeat; arteriae quoque vt aliquam mutationem possae sint, necesse est. Sita vero haec est in spirituum

maiori et copiosiori influxu, vnde arteriarum sequitur continua contractio, hinc pulsus celer; contractio, haec quia continuat, partes fibrarum arterias constituentium aliquanto propius ad se accedunt, vascula minima in membranis arteriarum non replentur; inde pulsus etiam durus obseruatur. Sub initium huius mutationis, et priusquam systema arteriosum cruore nimium repletur, et spasmus omnia vasa minora necdum obsidet, vt aliquid per contractionem arteriarum de sanguine in eadem intrare queat; obseruatur pulsus magnus, aequalis, respectu temporum eleuationis et contractionis arteriae; qui, ad certum tempus talis permanens, constans dicitur. Crescente vero morbo, pulsus adest impetuosus, donec postea in iam commemoratum celerem et durum mutetur. Consumtis interim spiritibus, pulsus obseruatur interdum sanorum instar, (§. X.) interdum debilis, digitos parum feriens, inaequalis; interdum intermittit et deficit. Pulsus tamen celer nunquam emanet: cum igitur hic pro symptomate febribus essentialiter inhaerente, non excluso calore, et praegresso horrore habetur, his vero morbus noster etiam stipatus est: necessario sequi debet, morbum nostrum esse febrem (§. IV.)

§. XVIII.

Habet vero morbus noster et alia febribus communia sibi iuncta symptomata, tanquam essentialiter ex prioribus §. XVII. consequentia. Haec inter obseruatur appetitus prostratus; sitis intensa, vtrumque debetur materiae alcalicae: vid. celeberrimi BOERHAVE Institut. Medic. p. m. 344. §. 261. quae morbi nostri causa est principalis. Salia haec in ventriculum secreta, eius fibras vellicant, vnde harum lenis contractio nauseam causat; ex hac sequitur auersatio omnium ciborum et inappetentia. Ventriculus si ob hanc irritationem spasmodice se contra-

hat, orietur vomitus; ſi vero in orificium ſiniſtrum ſalium actio magis fiat, vel Diaphragma in ſpaſmum concitetur, aderit ſingultus. Dolor capitis intenſiſſimus ordinarie in febre noſtra ſentitur; ab aucta ſpaſmodica pericranii irritatione, quod valde ſenſile, et nervis copioſis perplexum eſt; item vaſorum tenſione deriuandus erit. Vires proſtratae, dependent a diſſipatione ſpirituum; artuum laſſitudo non exigua, irritationi et ſtaſi fluidorum in tendinibus et ligamentis eſt tribuenda. Aliquando facies liuida et pallida viſitur, quod imprimis ſpaſmo vehementius vrgente contingit, dum per illum ſanguinis circulus verſus hanc partem impeditur. Liuida apparet etiam facies ſi ad extrema cum aegro ventum eſt, vbi ob defectum virium non ſufficit ſanguini verſus faciem propellendo; et forte ibidem ſubſiſtens corrumpitur, quod tamen rariſſime, niſi morti iam proximo, accidit; alias enim morbus noſter id peculiare ſibi vindicat, vt caput congeſtionibus ſanguineis oneret, vnde rubor faciei eiusque tumor, item et oculorum, atque rarefactionem ſanguinis in morbo noſtro actu praeſentem pro cauſa agnoſcit. Cum per hanc rarefactionem ſanguinis cohaeſio imminuitur; aër in eodem contentus magis ſeſe expandet, inde euadet ſanguis turgidus; E. venae repletae atque diſtentae cernuntur. Accedunt his vigiliae, quae irritationi neruorum et ſic continuato motui ſpirituum debentur. Irritatio haec, ſi in cerebro increſcat, vel ſanguis ipſe in ſubſtantia eiusdem corticali ſubſiſtat et accumuletur; orientur deliria Phrenitica, vel pro qualitate ſtagnantis materiae minus vel magis acris conſtrictionem praeſtantis, vel obſtructiones aequabiles neruorum, adfectus ſoporoſi: ſi tale quid in cerebello contingat? excipient haec variorum membrorum iactationes. Quum calor ſub his caſibus aegris fere intolerabilis ſit: eius quandam mitigationem ſibi procurare intendunt. Ea propter integumenta abiiciunt; manus

et

et pedes denudant; eſtque recenſitis ſymptomatibus ex conſuetudine, vt horis veſpertinis et per noctem ingraueſcant; cuius rei rationem in frigore tempore nocturno ordinarie exiſtente, quo mediante ſpaſmus a ſalibus acribus excitatus, nunc per cauſam occaſionalem externam intenſior redditur, haerere cenſeo. Adparent non raro in morbo noſtro Petechiae, quae mihi ex ſtaſi modo ſeri in indiuiduo quodam abundante, per febrem vero noſtram corrupto; modo ſanguinis in vaſculis arterioſis cutis et in anaſtomoſes venarnm prohibito ingreſſu, ob ſpaſmum a parte anteriori et poſteriori dictorum vaſculorum deriuandae videntur, vnde varium colorem prae ſe ferunt. Comes eſt et dyſenteria, potiſſimum in caſtris ſi corripiat homines febris noſtra: eroſionem praeſupponit tunicarum inteſtinorum a ſalibus acribus. Diarrhoea ſimplex ſuboritur, ſi corpus alias ſit ſucculentum, E. fit, vt fuſione humorum in morbo noſtro, quod ſalium alcalicorum proprium eſt, eueniente, fluida in canalem inteſtinorum copioſius ſecernantur, et, ſi ſpaſmus exteriores magis prae interioribus partibus diuexet, poſtea in inteſtinis quoque tale quid accidat, e corpore propellantur; E. fluxus alui, foetidus tamen ob putredinem humorum. Poteſt vero cauſa etiam in ſpiritibus haerere; ſi enim hi in tantum conſumti fuerint, vt robori vitali in fibris amplius exercendo non ſufficiant, ſphincter ani aperietur, et faeces aluinas dimittet. Contrarium aliquando obſeruatur, dum aluus pertinaciter conſtricta eſt; mihi a ſpaſmo deriuanda putatur. Socii quoque exiſtunt adfectus catarrhales, ſi ſeri abundantia in corpore haereat; neque tamen propterea aegri noſtri beneficium aliquod ſibi polliceri debent, cum hic caſus et ſerum et ſanguinem valde deturpatum teſtetur. Haemorrhagiae narium, hae oboriuntur a ruptura vaſculorum minimorum, ab horum extenſione nimia; cumque ſanguis ex iiſ-

dem effluxit, parietes eorum ad ſtatum naturali fere ſimilem redeunt, E. clauduntur hiatus, quam occluſionem ipſa ſalia tum temporis corpus obſidentia, promouent. In omnibus febribus cutis cernitur ſicca; et de febre noſtra id valet; interim obſeruatum eſt, in hac aliquando prorumpere ſudores frigidos, raro ab initio morbi, ſed hoc iam per aliquod tempus durante; ſpaſino tribuendi ſunt internarum partium, non quidem ob inflammationem ibi exiſtentem, ſed ob defectum virium, hinc Sanguinis in locis quibusdam ſtaſi, neque tamen hi nos terrere debent: contingentes vero illico in principio febris, quatenus vehementem colliquationem pro cauſa agnoſcunt, peſſimae ſunt notae. Igitur attendum erit, et circa ſudores, et haemorrhagiam, ſint ne hae euacuationes criticae vel ſymptomaticae?

§. XIX.

Frequenter videntur in morbo noſtro, fauces inflammatae, adeoque Angina, qua cum aliquando oeſophagus ipſe et ventriculus ſimul adficitur, de quo vero infra; ex ſubſiſtentia ſanguinis et eius corruptione in partibus dictis, ratio deducenda eſt. Fit E. ob hanc cauſam anxietas et reſpiratio difficilis; impeditur enim aëris introitus in pulmones ſanguis ibi copioſius haerens quam alias, propter auctam eius quantitatem in maioribus, (§. IX.) condenſari nequit; E. ſtagnat, vaſa pulmonalia mirum in modum replentur; ipſa ſubſtantia pulmonis ad terminos ordinarios redire nequit: E. manet extenſa; E. ſenſum grauatiuum, quem per anxietatem exprimunt, percipiunt. His ſe adſociat aliquando tuſſis, quae et in ſola acrimonia irritante fundamentum habere poteſt. Cum ob dolorem quem ſentiunt in faucibus per introitum △ frigidi, vna vice ingentem columnam aëris in aſperam arteriam mittere non audeant, iteratis vicibus id perficere conantur, quod nos reſpirationem difficilem dicimus. Aliquando fauces et lingua obſeruantur tantum viſcida, quod in ſeroſioribus euenit;

nit; quo in casu nec dolor in hoc loco admodum percipitur: etiam stasi, sed pituitae hic originem sui debet, per quam fibrae emolliuntur, hinc dolor temperatur, successiue vero motu linguae fieri potest, vt aliquid de pituita hac exprimatur, ibi coaceruetur, et quia cum interiori stagnante adhuc cohaeret, partes eas obducit; haec dum prodit est alba, humido vero dissipato, cum per motum △ ex pulmone, tum per ipsum calorem in ore, flauescens euadit. In specie lingua partim ob calorem iam commemoratum humidum dissipantem, partim ob impeditam secretionem ex strictura glandularum salivalium, hinc deficientem eius humectationem, arida cernitur. Ipsa haec et labia interdum finduntur, etenim cum vt iam dictum, saliua deficiat, et paullo ante prolatae ratioes hic concurrant, subsequitur papillularum linguae et fibrarum labiorum contractio, eorundemque solutio vnitatis. Interdum nigra se oculis sistunt, morbo iam crescente; quod a stasi sanguinis ex imminuta vi vitali explicandum. Infestat quoque aegros nostros non sine magno incommodo frequenter Cardialgia, quae ab irritatione cardiae, vt singultus (§. XVIII.) producitur. Quod vero non idem effectus ab eadem causa sequatur? quaerendam rationem in diuersitate subiectorum puto. Si enim adsit sensibile, i. e. non fibris durioribus et robustioribus ornatum, cum id adfectibus spasmodicis facile sit obnoxium; orietur singultus; si vero sit robustius, vt non a quacunque salium actione in irregulares contractiones coniiciatur; vel etiam spirituum propter morbum adsit pauperies, (§. X. circa fin.) orietur tantum Cardialgia. Quum vero cardialgia sit tristis sensatio siue dolor; in omni autem dolore motus spirituum est maior versus partem quae actionem sustinet et vicinas: facile inde concipi potest qui fiat, vt etiam cor in consensum trahatur; et cum neruos ab eodem trunco, a quo ventriculus, accipiat, motum irregu-

larem

larem, i.e. tremorem nanciſcetur. Non vero exiſtimandum, quod, cum ego paullo ante dixerim, ſpirituum pauperiem in cauſa eſſe, vt non ſpaſmus, ſed cardialgia eueniat, hic vero motus ſpirituum aucti meminerim, ipſemet mihi contradicerem? vtrumque ſubſiſtit; defectus poteſt adeſſe in reſpectu excitandarum vehementiorum actionum, et poteſt quoque adeſſe motus auctus, qui hic verſus plures partes diſtributus, non verſus vnam totum ſuum impetum exercere poteſt; neque etiam illico ſequitur, ex motu ſpiritum aucto, ſequi quoque debere conuulſiones. Tremor iſte cordis etiam ex deficientibus ſpirituoſis partibus, ob quam vis et robur cordis fit debilius ad propellendum ſanguinem, vnde tantum motus tremulus ſuccedit, explicari poteſt. Ventriculi inflammatio etiam aliquando non emanet; dependet vt omnis inflammatio a ſtaſi ſanguinis, quae hic accedit, partim ob ſanguinem ipſum ſpiſſiorem redditum ex humidi diſſipatione; partim ob irritationem et ſtricturam maiorem in extremitatibus arteriolarum a ſalibus: quod autem ſtaſis hic et non alibi fiat? in debilitate naturali prae aliis quaerendum puto; niſi forte in morbo noſtro per frequentiores vomitus vel ſingultus debilitatus fuerit; exiſtente iam inflammatione ventriculi, vomitus, ſingultus, et cardialgia vehementiora evadunt. Inſequuntur porro aliquando Parotides; quae naſcuntur itidem a ſtaſi ſanguinis, et glandularum ſtrictura: praeſupponit vero minorum decubitus iſte reſiſtentiam in hoc loco, vnde etiam iunioribus familiarior magis eſt. Obſeruanda inter haec imprimis vrina eſt, quae de conſtitutione M.S. nobis non ineptum ſuppeditabit ſignum. Videtur vero vrina aliquando in principio parum a ſanorum diuerſa; incremento morbi fiente, vel ſi ſimul atque ſemel cum vehementia adgrediatur, redditur aquea, crudior, tenuis, absque ſedimento; quae magis talis fit, (§. X.) quo magis ſpaſmus febrilis et per conſequens febris ipſa corpus exercet. Si ſpaſ-

mus mitior ſit, vt craſſiores partes et deſtructae in renibus ſecerni queant; excernetur vrina turbida, iumentorum inſtar, craſſa, ſub omnibus tamen caſibus foetida. Poſtremo ſi iungamus cauſas manifeſtas praegreſſas, vtique praeſentiam morbi noſtri et cognoſcemus, et ab aliis malignis diſtinguemus.

§. XX.

Quaecunque corpora humana ex febre Hungarica decumbunt: illis ſane vitae amittendae periculum imminet. Tanta mali huius eſt potentia: vt plurimis eo correptis moriendum ſit. Cum enim materia morbifica in caſu noſtro admodum ſit ſpecifice leuis in reſpectu ad Maſſam Sanguineam, (§. VIII. et XVI.) adeoque valde inter ſe quoad grauitatem differant; et ſtatus morbi fiat, quando vires naturae et morbi aequales ſunt; declinatio vero eueniat, quando obtenta eadem grauitate ſpecifica cum M. S. materia morbifica euacuatur per organa ſecretoria: (per princip. Patholog.) ſequetur difficulter grauitatem ſpecificam materiae noſtrae morbificae cum ipſa M. S. adhuc ſana obtineri: E. difficulter ſtatum ipſum et declinationem in morbo noſtro euenire poſſe. Iam vero effectus materiae noſtrae morbificae proximus eſt reſolutio, (§. IX.) E. continuare debet reſolutio atque deſtructio M. S. ad mortem vsque; quia grauitas ſpecifica materiae noſtrae non ſolum per medicamenta, ſed et per vſum diaeteticum procurari deberet, hac vero non adhibentur vna vice tanta quantitate, vt illud conſequamur, ipſa autem materia interea potenter agit, et actiones praeter naturales accumulantur, de quo per ſigna mala praecedentia certiores reddimur. Quum autem experientia teſtetur, multos etiam aegros e febre noſtra conualuiſſe: id mihi non alia de cauſa accidiſſe videtur, quam quod vel ipſa morbi vehementia a principio ad ſtatum vsque fuerat mitior; vel ſtatim in principio medicamentis tanquam morbo ad ſummum iam peruento, debitis,

bitis, ſelectis, et approbatis, contraibatur, et hinc vis eius infringebatur. Et ſanitas et mors morbo noſtro ſuperueniens vnum eundemque terminum habent. Intra XIV. dies febris noſtra iudicatur: aut enim 3. vel 4. aut ſeptimo, aut nono, aut vndecimo, aut decimo quarto finitur, pro ratione virium et materiae morbificae, et naturae. Modus euentus ad ſalutem ſignis bonis antecedentibus mox tradendis, fit, vel per haemorrhagiam, vel menſes, vel diarrhoeam, vel vomitum, vel vrinam; hi tamen modi critici eſſe debent, i. e. ſubito, copioſe, et cum leuamine fiant: dependent ab aptitudine materiae ad intrandum in vaſcula minima pro excretione, et a vi pellente adhuc non plane infirma. Locus vero euacuationis, cur non in omnibus ſubiectis idem ſit? in naturali debilitate partis prae reliquis, quam natura ſemper pro euacuanda materia eligit, dum ibi minor reſiſtentia deprehenditur, vaſculaque facili negotio extenſionem patiuntur, quaero cauſam. Per illos ſi finiatur? dicitur tunc perfectam eſſe criſin factam. Accuratiſſimi et feliciſſimi patriae noſtrae Medici obſeruarunt exquiſitas ſeu perfectas criſes in febribus acutis continuis frequentes eſſe; adeoque coniectura vti licebit, febreos noſtrae exitum ad ſalutem, alter vtro dictorum modorum in Hungaria futurum. Ab iis quoque Medicis compertum habemus, criſes per vomitum vel vrinam rarius fieri, et eſſe plerumque imperfectas. Eas vero, quae contingunt per ſudorem, vt plurimum frigidum ſiſtere, quod probe tenendum; neque confundendae erunt cum ſudore ſymptomatico etiam frigido, (§.XVIII.) interdum apparente. Imperfecte finitur morbus noſter, decubitu prius materiae peccantis in parte quadam facto ſiue metaſtaſi; quas in Hungaria frequentes quoque obſeruari aſſerunt. Vid. Diſſert. ſupra laudata D. D. MILLETER de morbo Tsömör, pag. 40. Tendit ad mortem deſtructione ipſius maſſae ſan-

guineae, aliquando inflammatione et necrosi cerebri, aliarumque partium internarum.

§. XXI.

Arduum ergo est; vti ex §. XX. patet, de exitu febris nostrae certam formare prognosin; et nisi accurate omnia signa prognostica simul considerentur erroneum committemus iudicium. Sunt vero signa prognostica quoad mortem sequentia: facies admodum mutata, quam alias Hippocraticam appellant, quae a fusione humorum nimia prouenit, et partium ibi subsistentium corruptione. Oculi torui, debentur spasmo musculos oculorum inaequaliter irritanti et contrahenti. Deliria continuantia, item vigiliae pertinaces, irritationi neruorum sunt tribuendae, et inflammationi cerebri. Motus conuulsiui et epilepsia, a subsistente materia acri circa neruos et hos irritante: titillationes manuum conuulsiuae, maxillae contractio, spasmis particularibus in locis his fientibus: oris distorsio, ex facto spiritum maiori influxu in musculos vnius lateris maxillae, vel statu paralytico alterius lateris: singultus irritationi cardiae et diaphragmatis, (§. XVIII.) frigus extremorum, partim a spasmo continuante, hinc sensum frigoris excitante, (§. XVII.) partim ex stasi sanguinis destructi, et particulis igneis orbati, partim vero ex deficiente vi vitali propellendo circulo sanguinis ad has partes; cruditas perseuerans, constrictioni vehementiori viarum vrinariarum, (§. X. et XIX.) excretiones symptomaticae variae, vt, alui fluxus nimius, cumprimis si vires nimium consumat, quia per hunc serum dilutioni salium necessarium educitur, colliquationi; haemorrhagiae ante diem criticum euenientes, quatenus per has non sanguis corruptus sed laudabilis excernitur, si enim prior esset, non video rationem, cur aegri se eo profluente peius haberent, cum causa morbi imminueretur per id, erosioni vasculorum minimorum, vel eorum ruptioni; petechiae (§. XVIII.) imprimis liuidae

uidae vel nigricantes, corruptioni humorum in cute ſubſiſtentium, tribuendae. Angina (§. cit.) quo vehementior eo periculoſior, quatenus actio ad vitam neceſſaria turbatur, nempe reſpiratio: amiſſio vocis, partim ex angina, partim muſculorum lacryngis ſtatu paralytico, dum pro voluntate conſtringere et dilatare eum nequeunt: lypothymiae ex defectu ſpirituum ob reſolutionem deſtructiuam deducendae. Pulſus ſanorum inſtar permanentis, ratio ex §. X. deriuanda: tandem fit debilis, planeque deficit, ex defectu ſpirituum et circulo ſanguinis. Sudores frigidi (§. XVIII.) ſi de internarum partium ſphacaelo conuicti ſumus, in morbo noſtro accedente aliquando; laethale vtique ſignum ſunt, alias minus. Parotides apparentes ſi per has non mitigetur morbus; frequentius in iunioribus eueniunt, (§. XIX.) vbi et ratio quaerenda. Praeter vero ibi adlatam, etiam aliam mihi concipio: dum enim per ſupra dicta eluceſcat, in morbo noſtro ſanguinem verſus caput vehementer ruere, (§. XVIII.) et ob continuatam hanc tenſionem debilitates inferre, minus iſtae partes hic ſitae prae reliquis reſiſtent; E. hic fiet ſtaſis non ipſius materiae morbificae, ſed ſanguinis, materia enim tunc necdum cocta eſt. E. impeditur in ea parte motus ſanguinis; E. quantitas ſanguinis ſub dicta conditione in plura vaſa diſtribui nequit. Iam vero per ſpaſmum, (§. IX.) praeterea ſanguis in vaſa maiora retropulſus eſt, et nunc nova accedit cauſa; E. accumulari debet; E. magis tendet vaſa; E. frequentior horum contractio, niſi a tenſione illa inducatur atonia; E. et ſymptomata §. XVIII. et XIX. recenſita atrociora: et cum hicce decubitus prope cerebrum ſit, facta ſui corruptione, facile hoc laedere poteſt; per vaſa enim extenſa compreſſio eius, hinc ſpirituum ſecretio imminuta fiet. Sanitatem conſecuturam indigitant, ſigna coctionis apparentia: vrina nempe reddita ſubrubra, craſſiuſcula, ſedimentum habens; denotat enim id ſpaſmum iam aliquanto remiſſiorem

ſiorem eſſe, et tum partes a materia deſtructas, tum ipſam materiam aliquantum iam praeparari, ſiue coqui; et ad grauitatem ſpecificam partium M. S. accedentem, (§. XX.) abſque ſtrictura in vaſa anguſtiora penetrare, ibi ſecerni, et euacuari. Vires ſufficientes, de robore vitali teſtantur; reſpiratio bona, actionem ad vitam non eſſe laeſam demonſtrat. Auditio difficilis, ex ſtaſi materiae in muſculis oſſiculorum auditus et membrana tympari, hinc impedita quadantenus eorum mobilitate, prouenit. Fallax vero hoc ſignum eſt, neque nimis ei fidendum: ſi enim obſtructio nerui acuſtici fiat, etiam deficit auditus, quod malum; E. niſi adſint ſimul reliqua paullo ante commemorata ſigna, nil certi exinde concludi poteſt.

§. XXII.

Omne quod corpus humanum laedere poteſt, et actu laedit, illud vel praecauendum, vel remouendum et alterandum, ne amplius laedat, (per princip. Therap.) Atqui materia febris noſtrae Hungaricae corpus humanum laedere poteſt, et actu laedit, (§. XVIII-XXI.) E. materia febris noſtrae Hungaricae, vel praecauenda, vel remouenda et alteranda erit, ne amplius laedat. Laedit autem materia noſtra eousque, quousque eandem cum M. S. non obtinuit grauitatem ſpecificam, (§. XX.) hinc, quousque inaequalitas inter eas intercedit, hae enim ſemper ſtatum mutatum dant; E. grauitas ſpecifica materiae noſtrae morbificae cum ipſa M. S. procuranda erit; data namque grauitate ſpecifica materiae morbificae eadem cum ſanguine, vires vtrorumque non different, vid. celeberr. HAMBERGERI Element. Phyſ. §. 148. p. m. 82. E. erunt aequales. In curatione ergo febris noſtrae id vnicum intendendum et ſpectandum veniet, vt gravitas ſpecifica materiae morbificae eadem quae M. S. eſt, concilietur. Si igitur quaedam medela locum inveniet? principium morbi non negligatur; vbi vero radices profundius egit,

ne aegrum ſpe orbatum relinquamus, dicta vt obtineantur, omni modo adlaborandum eſt. Fiet hoc:

1) Per talium adhibitionem, quae proxime vi materiae oppoſita, eius correctionem praeſtare, et hac facta eam eliminare valent:

2) quae ſymptomatibus vrgentibus remouendis conueniunt:

3) quae M. S. proportionem decentem reliquam, conſeruant, et reſtituunt.

Epidemice graſſans, corpora ſana a ſui inuaſione praecauenda poſcit. E. 4) impediendum erit contagium.

§. XXIII.

Primae indicationi, §. XXII. n. 1. ſatis fiet: *a*) iis, quibus materiae tenuis acris bilioſae, (§. I.) i. e. alcalicae, (§. VIII.) partes determinantur verſus alia corpora, vt his adhaereant, et hac ratione minori quantitate agant in M. S.

b) Iis, quibus copia maior (§. VII.) in exiguo ſpatio exiſtens, in maius diſtribuitur.

c) Iis, quibus ſuperficies ſalium obducitur; ita enim actio eorum ex adhaeſione in Maſſam Sanguineam prorſus alia fit, quoniam nunc puncta contactus mutata ſunt; E. demum eliminari poterit materia.

Corpora ad quae determinantur ſalia materiam noſtram conſtituentia, (n. a.) ſunt omnia quae ſub titulo diaphoreticorum et Bezoardicorum fixiorum nomine veniunt. Talia audiunt omnia terrea, non manifeſto ſapore praedita, in vſum medicum recepta. Inter haec ſunt ſelectiora: pulueres dicti bezoardici Wedel. maj. et min. Sennerti, pulv. Pannonicus ruber, Epilept. March. Lap. de Goa, ſpecies de Hyacintho, pulv. e chel. 69. Lond. Lap. cancr. mater perl. ppt. corall. rubr. ppt. conch. ppt. mandib. luc. piſc. C. C. phil. Antimon. Diaphor. Zinnabaris, in minori quantitate. Huc etiam pertinent omnia acida et ſalina media: Ni-

trum

trum ſimplex, depuratum, regeneratum, arcanum duplicat: Mynſicht. Hepat. rubr. Dresd. Tartar. vitriolat. Tartarus tartariſat: paulo ante recenſitis moderate mixta; Mixtura ſimpl. ſpirit. ⊕ ſimpl. et dulc. prior in aqueo vehiculo datus, adſerente celeberr. HOFFM. Med. rational. ſyſtem. Tom. IV. part. I. p. m. 271. eximie profuit; cuius rei ratio vnice in acido mutante materiam noſtram in ſal medium, et hinc reſolutionem putredinoſam impediente, haeret; adhibeatur vero caute et potius repetitis vicibus, quam copioſe cum detrimento: item clyſſ. antimon. ♁rat. ſucc. citr. Ra fl. pap. rhoead. aquileg. violarum. Diſtribuuntur (n. b.) ſalia per diluentia tam officinalia, quam domeſtica, ex illis ſunt; aquae deſtillatae, Endiuiae, Cichorii, Paeon. Scorzon. acetoſ. acetoſell. ceraſ. nigr. borrag. bugloſſ. Namph. rub. idaei, galeg. fl. Samb. acac. Scabioſ. Card. bened. Scord. Prophylact. Sylu. ex his, cereuiſia ſecundaria, ſerum lactis, et infuſum herbae Thee. Parari hinc poſſunt potiones, Iulapia, additis pulueribus ſalinis acidis ſupra dictis, extractis et ſyrupis mox commemorandis, iuſta vbique obſeruata proportione, et ſecundum leges artis. Obtunduntur (n. c.) Salia, et ſuperficies eorum obducitur, per ſulphurea media et fixiora inſipida: illuc ſpectant Tincturae bezoardicae temperatiores, vt R bezoard. Wedel. eſſent. alexiph. Stahlii, balſam. Sleuogt. Scord. Serpentar. virginian. theriacal. balſam: elix. propriet. ex quibus et mixtura ſimplici, parari poteſt MRa bezoard. recipiendo Rae bezoard. eſſ. Scord. ana part. I. MRae ſimpl. part. II. addita eſſ. anodyn. ad paucas guttas. huc pertinent extracta, Scorz. bellid. C. B. theriacal. item decocta, ex decocto hord. vel ſimplici, vel cum C. C. et Scorz. Decoct. Scorz. ipſum, Decoctum panis, juſculum auenac. gelatinae varie praeparatae; emulſiones ex aquis iam allegatis cum ſemin. Paeoniae, 4. frigid. mai. C. B. aquileg. pap. alb. amygd. dulc, ambroſin. nuc. pin. remixto pro lubitu

aliquo

aliquo puluere ex recensitis n. a. Referendi huc etiam syrupi. vt syrup. acetosit. citr. acetosae, acetosell. bellid. granor. Kermes, potionibus et julapiis conficiendis addantur; de nymphea, alth. pap. alb. pro emulsionibus, quibus et saccharum tabulatum iungendum. Neque excludi hic debent bezoardica confermentata, vt elect. diascord. Fracast. in bolo exhibendum. Ex omnibus hic prolatis, selectus instituendus erit, vt pro circumstantiis exigentibus et palato aegri, et causae morbi satis fiat, neque inconstanter hoc vel illud alteri substituendum. Absit vero vt vi vel calidioribus aliis morbum nostrum adgrediamur; non enim id patitur, et praeter omnem spem medici, aegrum tollit. Proderunt vero imprimis in Hungaria potiones et decocta prae reliquis magis, cum experientia medicos ibi existentes docuerit, diffusiora concentratioribus ob temperamentum calidius palmam abripere. Medicamentis igitur his probe in vsum tractis, spasmus (§. IX.) remittet, et eliminatio materiae continget.

§. XXIV.

Symptomatum vrgentium (§. XXII. n. 2.) remotioni, succurrunt §pho praecedente contenta; causa enim morbi mitigata, haec, tanquam effectus cedere quoque cogentur. Vt autem et his proxime contraeatur; specialius ea, quae se offerunt, erunt videnda. Inter haec ad virium debilitatem maxime reflectendum; quum ista ex spirituum destructione oriatur, (§. XVIII.) horum conseruatio et restitutio procuretur. Obtinetur hoc per potiones confortantes ex aquis dictis (§. XXIII.) paratas, quibus pulueres bezoardici commemorati miscendi, addito syrup. acetos. citri. Si desiderentur epithemata ad pulsus non denegentur; probe tamen videndum an exanthemata, inter quae petechiae numerantur, (§. XVIII.) actu iam adsint, vel mox metuendae, quo in casu non concedantur: conficienda sunt ex spec. pro epithem. cordis, spec. cordial. tempera-

pera-

peratis, pulv. Zedoar, Contrajerv. cort. citr. aurantior. myrrha, Camph. in exigua quantitate, flor. Lauend. Anthos; humectentur dein aqua reginae Hungar. Carfunc. aurea, aqua Anhaltina, cordial. H. S. frigid. acet. bezoard. rutaceo, lauendulat. rosac. aceta haec etiam pro odoratu interdum vsurpari possunt, addito in parca quantitate spirit. Sal. Amoni. anisat. Sunt vero acida eximii in casu nostro vsus, prouide adhibita, resistunt enim fusioni humorum, (§. VIII.) Illini quoque pulsus et tempora queunt balsamo, ex oleo destil. citr. Angel. rutae, Succin. lauendul. rorismar. lign. rhodi. summto pro basi oleo nucist. expresso, parato. Sudores frigidi, (§. XVIII. et XXI.) quia virium prostrationi debentur, dum ab impetu cordis per vasa cutis aliquantum adhuc stricta, partes destructae propelli nequeant, et hinc ibi subsistunt: partim in priori et hoc §pho dicta, non de nihilo erunt, partim proderunt analeptica, materiam pro spiritibus suppeditantia, et adhuc residuos in motum citantia. Et hic ex vsu erit balsam. vitae Frid. Hoffm. Magnif. D. PRAESIDIS cum et sine ambra naribus exceptum, vel ad aliquot guttulas in potiunculis vel mixturis porrectum. In Hungaria vinum generosum vetus et probe defaecatum, dilutum paullo redditum, modice haustum, etiam proderit. Fricandum vero etiam erit corpus linteaminibus calidis, vt resistentia in cute imminuatur, haec emolliatur, et alter spiritibus inducatur motus. Sitis sedatur potu ordinario temperato sufficiente, potionibus, emulsionibus, ⊕lis, et acidulis iam tactis. Vigiliae et convulsiones si contingant, itidem per dicta compescuntur; praeter haec, laudatum diascord. Fracast. vim anodynam exerens, item theriaca coelestis in pillulis, nec non liquor anodyn. mineral. vel per se in vehiculo aqueo, vel additus mixturis, (§. XXIII.) prodest. Epithemata quoque frontalia, suum hic habent vsum, dum enim per haec tanquam frigida, vis fibrarum Physica maior euadit, et hinc vasa con-

ſtringuntur, redduntur per hoc aptae, vt magis reſiſtere, et non facile a quacunque ſalium actione ex adhaeſione irritari queant; habenda interim ea cautela hic eſt, quae ſupra de exanthematis tacta erat; parantur ex iis, ex quibus epithemata ad pulſus, addito nitro vel ſimpl. vel antimoniat. ad tempora applicari hoc fine poteſt vng. alabaſtr. cum ℴℴ nuciſt. expreſſo.

§. XXV.

Vt ſpirituum motus a cerebro verſus alias partes determinetur: epithema ad plantas pedum ex ſpirit. theriacal. camphorato, crocato, aceto roſaceo vel rutaceo applicetur. Proderit et horum frictio, vel cum pano calido tantum, vel cum abſynthio, ſale, et vino calido, quod circa tempus nocturnum optime convenit. Dolor capitis qui hic eſt intenſiſſimus, (§. XVIII.) per epithemata frontalia adducta, (§. XXIV.) temperatur; addi iis poterit aqua ſolani, verben. puleg. Anethi, philon. Rom. interne vſurpetur cum aliis (§. XXIII.) ſpecifíc. cephal. Michael. Faucium inflammatio et ipſa angina, curatur interne per iam dicta, externe vero gargariſmatibus in quibus nitrum ſolutum eſt, et iniectionibus: ſpecialiora ad huius curationem facientia, aliunde deſumi debent, id quod et de inflammatione tum ventriculi, tum aliarum partium valet. Deliriis denique non tam apparentibus, quam diu continuantibus, cum haec cauſam conſtantem, (§. XVIII.) nempe ſtaſin Sanguinis in cerebro agnoſcant, hic vero ſanguis reliquo in circulo adhuc exiſtente ob deficiens humidum diluens viſcidior ſit; ſalia in interioribus eius partibus haerentia, liberari nequeunt, ſed tanquam inertia conſiderari poſſunt; in exterioribus vero eius partibus haerentia, cum a vaſis contingantur, in haec, adhaerendo, agunt; E. praeſtant irritationem, non tamen ſanguinem ſubſiſtentem reſoluunt. Cum iam reliqua ſalia per deſtructas ab ipſis maſſae ſanguineae partes, aliquantum obtunduntur, hae enim non euacuantur (§. XIX. circ. fin.) ſed ipſa hinc inde ſta-

ſin

ſin ſubeunt, et varias irritationes praeſtant: ipſa inepta euadunt ad reſoluendum illum ſanguinem in cerebro ſubſiſtentem; E. adhibenda ſunt alia corpora, quae ſtaſin expediant; et talia ſunt vi experientiae veſicatoria, pone aures, in nucha, vel brachiis applicata. Veſica facta aperiatur, et per aliquod tempus aperta ſeruetur, vt per hanc viam et ipſa ſalia alia, et partes Maſſae ſanguineae deſtructae, aliquantum euacuari poſſint. Si nulla fiat veſica, cum id impetum cordis maxime debilem teſtetur? breui ſecutura aegri mors nobis ſignificatur. Dyſenteria concurrens; huic per iam dicta §. XXIII. contraibitur; ſpeciatim acrimonia in inteſtinis haerens, temperanda erit; quem ad vſum egregie prodeſt, cort. chaquerill. tanquam ſulphureum blandum, et eius eſſentia. Diarrhoea ſimplex, nitroſis, item abſorbentibus ex §. XXIII. petendis compeſcitur; abſit tamen, vt vtrumque fluxum adſtringentibus reprimere vellemus. Si ex vi vitali deficiente (§. XVIII.) oriatur? reſtituendi ſunt ſpiritus, quod fiet methodo generali, §. XXIII. et XXIV. obſeruata; non neglecta ſpecialiſſima. Aluus adſtricta, plane non ſtimuletur; correctione enim humorum obtenta, ſponte redibit. Petechiae apparentes, eandem §. XXIII. expoſcunt medelam. Parotides criticae, ſuppurationem deſiderant; hunc in finem cataplaſma ex cepis ſub cineribus coctis et theriaca, vel ex melle et farina vſurpandum, emollitione facta, aperiantur, dein vnguento baſilico, vel fuſco Vurzii mundificentur, et emplaſtro dia ♃ Rulandi, vel Opodeldoch conſolidentur. Symptomaticae ſi ſint? vtrum interne diſcuti queant, priusquam cerebrum laeſerint, iisdem §. XXIII. et XXIV. tentandum erit.

§. XXVI.

Cum circa finem §pho praeced. euacuationum nempe dyſenteriae et diarrhoeae tanquam ſymptomatum in morbo Hungarico obuenientium, mentionem fecerim: addendum quoque erit, quomodo nos gerere

f 2 debea-

debeamus, vbi ſtudio et voluntate noſtra euacuationes in febre hac producere volumus. Nunquam vero hoc ſecus inſtituendum, quam in principio morbi. Si ergo vitia diaetetica, (§. XIV.) praegreſſa ſint, quale quid in caſtris non raro fit; vel ſi etiam certo neſciamus, haerere cruditates in ventriculo, cum aegri errores ſuos libenter celare ſoleant: vomitus inſtituatur, dummodo vires adſint. Parari hoc poteſt ex rad. Hypecac. vel ♀ emet. cum cryſtall. ♀, Zinnabari, et aliis, (§. XXIII.) illuſtr. HOFFMAN. l. c. p. 271. commendat decoctum mannatum cum dimidia vel vna drachma rad. Hypecac. aut loco huius infuſum mannae ex vino cum duobus ♀ emetici granis, quod vtique adhibendum: praeter enim quod emeſin citet, hinc ventriculum ſordibus ſuis liberet; aluum mouet, et inteſtina, ſi quid iam in haec ex ventriculo peruenit, purgat. Doſis horum pro re nata, vel augeri, vel minui poteſt, habito ſemper reſpectu ad ſubiecta. Purgantia ſola etiam ſub dictis conditionibus non erunt inutilia, maxime tamen ſimul cum humectantibus in vſum trahantur. Huius generis eſt decoct. fol. Sennae cum rhabarb. additis ſimul Diaphoret. et bezoard. lenioribus, vt rad. Scorz. herba Scord. flor. Galeg. in morbo ipſo ad aluum apertam ſeruandam, cum laudatum decoct. fol. Sennae tum alia lenientia, vt decoct. caſſ. fiſtul. vel mannatum cum paſſul. adhiberi poſſunt. Plethora ſi adſit, (§. XIII.) vel etiam fervor ſanguinis caput verſus, (§. XVIII.) illico magnus obſeruatur: Venae ſectio in principio, et vt dictum, viribus adhuc bene praeſentibus, non vero contraindicantibus quibusdam concurrentibus, inſtituta in brachio vel pede, quod tutius, ſymptomata ſubſequentia mitiora reddit. Specificum vero aliquod quo Hungari ad infringendam immo debellandam hoſtilitatem morbi noſtri, vterentur: quantum ego ſcio, illis non eſt in vſu. Adſerit vero D. D. SCHVLLER in Diſſert. de morbo Hungarico Hagymaz, Tranſyluanis tale

quid

quid in vſu eſſe: herbam nempe Ononidem cum cepa et caryophill. coctam, quo decocto demum aegrorum caput tepide abluitur, et hoc vſurpato, aegrum rectius valere. Exiſtimo autem committi circa hoc fallaciam non cauſae vt cauſae; nam cum effectus qui per hanc lotionem obtinetur, ſit remiſſio ſtricturae fibrarum hinc abſorptio fluidi a poris, et conſequens liberior perſpiratio, hoc autem ipſa aqua ſimplex, l. etiam cum emollientibus cocta, praeſtare poſſit; neſcio cur ob hanc rationem ononidi peculiarem vim agendi tribueremus? et effectum dictum celerius conſequi arbitror, ſi non modo caput, ſed totum corpus, linteaminibus calidis et humidis frictum fuerit.

§. XXVII.

Medicamentis igitur morbo noſtro contrariis, §phis praecedentibus legitimo modo adhibitis; impeditur illius vlterior progreſſus; hoc fiente proportio quoque reliquae M. S. conſeruatur et reſtituitur; E. ſatis fit indicationi 3. §. XXII. per ea, quae quoad curationem propoſita ſunt. Non eſt itaque neceſſum, vt aliis pro hac intentione vnica aegrum oneremus, cum eodem modo, quo morbus tolli, etiam proportio Maſſae Sanguineae decens conſeruari et reſtitui poſſit. Quia vero medicamenta ipſa, non omnem in hoc negotio abſoluunt rem, ſi diaeteticum regimen minime iis ſit accommodatum, neque proportio bona ſemel obtenta, diu talis permaneat, niſi obſeruetur exacte diaeta: haec, quomodo in morbo noſtro comparata eſſe debeat, iam tradam.

§. XXVIII.

Aër ſit temperatus neque nimis calidus, neque nimis frigidus: alimenta deſiderata porrigi queunt, reſolubilia tamen et temperata; quo ſpectat caro vitulina, agnina, et pullorum gallinaceorum iuniorum; ſi non deſiderauerit aeger, non cogatur: potus etiam ſit temperatus, vel ex cereviſia ſecundaria, vel ex infuſo herbae Thee, vel ex vno dictorum decoctorum

rum, §. XXIII. interdum et potiones ibi commendatae, ſubſtitui poſſunt. Quies et detentio in lecto, quo promtius ab aegro, et ad primum mali ſenſum obſeruetur; eo benignius vim morbi experietur, dum abſente motu externo, internus vehementior reddi nequeat, (§. XIV.) ſomnus ſi accedat; non turbetur: abſentis vero reſtitutio quouis modo procuretur, (§. XXIV.) Animi pathemata quaeuis, imprimis vero exagitantia, vt ira, et concentrantia, vt timor, (§. XV.) omni ſtudio arceantur. Aluus, quantum poſſibile, ſeruetur aperta; id quod lenientibus, (§. XXVI.) obtinemus.

§. XXIX.

Morbus Hungaricus, quum epidemice aliquando ſaeuiat, (§. XVI.) ad indicationem 4. §. XXII. erit reflectendum; vt nempe propagatio contagii impediatur. In hoc ſane omne verſatur negotium, ſi morbos epidemice graſſantes ſupprimere velimus. Interceptionem contagii requirit profecto morbus noſter, cum aegris admodum exitialis ſit, (§. XX.) et experientia confirmamur, febrem hanc facilius cedere propagatione contagii ſui inhibita, quam optimis quibusque medicamentis. Quo autem contagium hoc impediatur? agendum erit, vt ſani ab aegrorum conſortio detineantur; et, quorum officium exigit, vt hos adeant, corpus praeſeruent internis et externis temperatis. Illuc ſpectat pulu. praeſeruati. Wed. ℞a bezoard. (§. XXIII. n. c.) huc, ſuffitus, ex bacc. laur. puluere pyrio, gum. anim. ſuccin. Ad aegrum venientes. non proxime ad eum accedant; ita vero ſe collocent, vt ventus ab ipſis ad aegrum, non vero vice verſa abeat. Sputum non deglutiant, ſed reiiciant, et maſticatoriis in vſum tractis, vt rad. acor. ver. calam. aromat. cubeb. aërem in pulmones intrantem purificent. Manus ab aegris recedentes abluant; ceu amuletum camph. ſecum vehant. Vtenſilia aegrorum aliorſum non transportentur, ſed vel comburantur, vel alio modo deſtruantur: his omnibus recte adhibitis, contagium ſupprimetur. Haec ſunt, quae pro virium tenuitate de morbo Hungarico ſpecimen daturus, ſcribere volebam. DEO immortali debitas ago gratias, pro conceſſis viribus in abſoluendo ſtudiorum curſu, et omnibus bonis, mihi huc dum clementiſſime exhibitis.

Eius clementiae vltro me tradens; omnes meos labores honori ipſius deuotiſſime conſecro.

FINIS.

Glück

Glück zu, Hoch-Edler Freund! nun wird dein Fleiß belohnt,
Daß Deines Nahmens Glantz auf Ehren-Bühnen thront.
Die grosse Wissenschaft, die Du allhier erlanget,
Ist der recht edle Grund, daß Deine Würde pranget.
Nur Tugend, Witz, Verstand und Einsicht macht Dich groß.
Heut nimmt Hippocrates Dich selbst in seinen Schooß,
Und will den Doctor-Hut Dir nach Verdiensten reichen.
Warum? Du übertrifst gar viele Deines gleichen.
Nimm hin den treuen Wunsch, den Dir mein Kiel hier schreibt,
Da Dir mein treues Hertz, allstets ergeben bleibt.
GOtt wolle Dich hinfort mit vielem Heyl erquicken,
So kanst Du Glück und Wohl nach Hertzens Lust erblicken.
Gesundheit labe Dich. Es weiche, was nur kränckt.
Damit den edlen Geist Vergnügungs-Nectar tränckt.
Ich werde mich gewiß aufrichtig drüber freuen,
Wenn GOtt von Zeit zu Zeit Dein Wohlseyn wird erneuen.

Hierdurch wolte dem Hochgeehrtesten Herrn Docterando
zu der erlangten Würde gehorsamst gratuliren, und sich
zu fernerem geneigtem Andencken bestens empfehlen

Ioh. Chrift. Iacobi,
Vinar. Thuring. M. C. Opponens.

Geehrter Freund, so soll Dein Fleiß
Daß längst verdiente Kleinod finden,
Hygäa sucht ein Lorbeer Reiß
Um Dein gelahrtes Haupt zu winden;
Apollo hat sein Angesicht
Gantz liebreich auf Dich hingericht,
Um Dich auf hohe Ehren-Stuffen
Zu seinem Tempel hinzuruffen.

Die Weisheit die Dich an der Brust
Als ihren Liebling auferzogen,
Von welcher Du mit gröster Lust,
Viel ächte Künste eingesogen;
Läst Dich an der geweyhten Statt
Woselbst sie Hayn und Altar hat,

Im

Im Purpurhut nach Würden prangen,
Und zu dem höchsten Ruhm gelangen.

Dein Freund, der Dir sein Hertz geweyht
Wünscht, daß der Höchste lauter Segen
Bis in die späte Lebenszeit
Zu Deinen Curen möge legen;
Zieh drum nur hin ins Vaterland
Und werde aller Welt bekannt;
Ja wachs in Aesculapens Lehre
Stirb endlich in Galenens Ehre.

Hiemit bezeiget dem Herrn Doctorando seine beständige Ergebenheit

Ioh. Carol. Wilh. Moehsen, *Berol.*
Med. Cult. Opponens.

Indem, geehrter Freund, Du aufs Catheder steigst
Und in dem Streite Dich nach Helden-Art bezeugst,
Naht sich Hygäa Dir und sieht mit viel Vergnügen,
Dich, so, wie sie gewünscht, der Gegner Macht besiegen.
Drauf reicht sie Dir die Hand, die einen Crantz umfaßt,
Und spricht, mein treuster Sohn, was Du verdienet hast,
Nimm es, und kehr alsbald ins Vaterland zurücke,
Damit auch dis den Fleiß mit neuen Ehren schmücke.
Du folgst. Mir geht indes Dein Abschied bitter ein,
Doch kan mein traurig Hertz bey solchen sich noch freun,
Daß, ob die Vorsicht gleich Dir Glück und Ehre gönnet,
Dis dennoch nimmermehr der Freundschaft Band zertrennet.

Seine schuldige Hochachtnng gegen den Herrn Doctorandum ergebenst zu bezeugen, und Dessen gütigen Andencken sich künftig beständig zu befehlen, fügte gegenwärtiges bey

Siegmund Gottlieb Rothe,
Sempronio-Hungarus, Med. Cult. Oppon.

(2)